

gnum errorem libenter dissimulat: paruum illic errorem longè faciliùs tolerabit. Diuersitas enim illa penes corpora, calculum Astronomicum nihil admodum turbat: ista verò penes motus paulò quid maius infert. Atq; hoc primū est; plaga nempe reposita.

Deinde cum corpora dissentiant à motibus, vt verè mihi obijcitur; fateri vtique cogor, alterutros in errore versari. Veruntamen errorem ita demonstrari posse existimo, vt neutrum inuentum (neque de motuum neque de orbium proportione) penitus relinquere necesse sit. Vtrum autem inuentorum in culpa sit, ex superioribus facile est conijcere. Primùm distantia motoria longiùs à Copernicanis recedunt, quàm figurales. Deinde, si motorias cum Copernicanis conferas, singulas cum singulis, defectusq; ascribas: videbis aliquam defectuum cum ipsis numeris, atque adeo cum corporibus cognationem, præterquam in Mercurio.

Ecce:

	Coper.	Motoriæ	Diff. æ	
♄	♃ 572	574	+ 2	Cubus.
♃	♂ 290	274	- 16	Tetraedron.
♂	Terræ 658	694	+ 26	Dodecaedron.
Terræ	♀ 719	762	+ 43	Icosaedron.
♀	♁ 500	563	+ 63	Octaedron.
	vel 559		+ 4	

Plus scilicet in quatuor, minùs in quinto. Nam ex quatuor, bina semper corpora sunt similia, quintum solitarium est. Deinde Mercurium, vt est varius, in ordinem redige, & cogita, debere aliquid altius media orbis spissitudine pro media distantia censerì, tantum nempe, quantus est orbis Octaedri, (quod supra audiuiisti media spissitudine amplius esse) & obtinebit pro media distantia 559, non 500. Erit igitur hic ordo eius numerorum ♀ ♂ 559 | 563 | + 4. Ecce in ♄ ♃, & ♀ ♂ differentias minores sc. 2. 4. in ♂ terra, terra ♀ maiores, sc. 26. 43. sicut interiecta corpora illic Cubus & Octaedron, hìc Dodecaedron & Icosaedron sunt similia. Et animaduerte, quòd illic, vbi magna differentia est inscriptorum & circumscriptorum, parua est differentia distantiarum: vicissim vbi propemodum æquales ascripti, magno interuallo dissident distantia motoria à Copernicanis,

K 3

Cum